

*Serenissimi & Potentissimi*  
*Borussiae Regis* 13

# DECLARATIO

Qua ejusdem

Erga Sacram Regiam Polo-  
niae Majestatem

&

Serenissimam Rempubicam

Amicitia, studium & affectus ab ipsis  
Regni initiis variis Documentis  
demonstratus asseritur,

&

*A fictis aut in falsum detortis quorundam  
malevolorum obtreccionibus vindicatur.*


---

ANNO MDCCXIX.

DECRETUM

E. XVI. 348. b. rzadki

...



**S**UÆ Regiæ Maje-  
stati Prusiæ nihil æque  
tam acerbum evenire potuit, quam  
quæ ad aures Ejus pervenit falsa imputatio, ani-  
mi sui in fortissimam Polonorum gentem, à se in  
summa semper existimatione habitam, iniquioris;  
videlicet Rempublicam per damna & injurias à  
Se laceffitam, & longe graviora secretis molimini-  
bus agitari, eoque præcipue sine copias militares  
adeo numerosas, ceterosque bellicos apparatus  
instrui, ut junctis cum Sacra Tzarea Majestate viri-  
bus rem Poloniae per damna accidere, Regnum  
per partes diripere, urbes, provincias avellere,  
inque suam potestatem redigere posset.

Ut igitur iniquis ejusmodi accusationibus,  
quæ totam Poloniam pervagatæ omnium fere  
animis

animis infedere, sese exsolveret Sacr. Reg. Boruss. Majestas, necessarium duxit, qualem à primis regni sui auspiciis erga Regem & Rempublicam Poloniae sese gesserit, quamque longe abfuerit à cunctis quae illis noxam aut detrimentum illatura viderentur, universo orbi, praecipue vero inclutae Polonorum genti hisce manifestum facere.

I.

Primum, quod erga Poloniam in ipso mox initio suscepti regiminis observandum fuit Sacr. Reg. Majestati officium, hoc erat, ut Pacta Velaviensia, Poloniam inter & Prussiam intercedentia, denuo firmarentur, & quando in Prussia à S. R. M<sup>te</sup> homagium accipiendum esset, Rex & Respublica ad solennitatem invitarentur, inque formula Juramenti eventuale Poloniae homagium comprehenderetur.

Utriusque praestationem Regi Regnoque Poloniae promptè pollicita est S. R. M<sup>tas</sup>, maximeque volenti tibi evenisset, si hac in parte tenor Pactorum rite fuisset observatus.

Haud equidem constat S. R. M<sup>ti</sup>, quae praecise causa fuerit hujus omissionis; & quare in momento adeo essentiali, quoque Jura Regni Poloniae in  
Prussia

Prussia eventualiter reservata, principaliter nituntur, ex parte Poloniae Pacta accuratius servata non fuerint. Ipsi saltem eo respectu imputari nihil potest, posteaquam re ipsa omne id implevit, quod ab Ea Pactorum tenor exigebat. Atque insuper etiam, cum à parte Poloniae omnino cessari animadverteret, per literas singulariter ad Regem Poloniae, verbis quam officiosissimis quamque accuratissimis perscriptas, pro Se Posterisque suis Regi Reiquepublicae cavuit, quamvis neque Pacta repetito jurejurando confirmata, neque eventuale homagium Regno Poloniae praestitum esset, id tamen in noxiam consequentiam haudquaquam valiturum, verum cuncta praedicto Regno in Prussia competentia Jura pariter ac si omnia rite perfecta fuissent, salva & integra permanitura.

II.

Neque multo postea Poloniae Saxoniaeque grave periculum emicuit. Advenerat è ditione Turcarum in Pomeraniam Rex Sueciae nuper fato defunctus, novumque impetum in Regem Regnumque Poloniae ingenti conatu moliebatur, neque dubium erat, quin contractis suis in Germania copiis, denuo in Poloniam fuisset perrupturus, ferroque & flammis cuncta vastaturus, nisi à S. R. M<sup>te</sup> Prussiae <sup>su</sup>probitus fuisset.

Testes sunt Regii Poloniae in aula Regia Prussiae tunc praesentes Ministri, & adsunt alia praeterea documenta, quae fidem faciant, solam S. R. M<sup>tem</sup> causam publicam tunc sustinuisse, & quamvis ratione suorum commodorum, aequis admodum conditionibus cum Rege Sueciae transigere in proclivi haberet, id tamen facere recusasse, Regemque Sueciae in Stralesunda ingenti exercitu oppugnasse, donec inde ultra mare repelleretur, unice ob eam causam, quod a proposito regrediendi in Poloniam, bellumque ibi renovandi averti se non pateretur.

Statim a suo è Turcia reditu Rex Sueciae Landgravium Hasso-Cassellanum ad S. R. M<sup>tem</sup> mandavit, cum pollicitationibus admodum proficuis, quibus tamen, quod praecipua conditio adjecta erat, ut liberum ipsi esset Poloniam armis denuo invadere, idque S. R. M<sup>tas</sup> Prussiae ne impediret, adeo non favit S. R. M<sup>tas</sup>, ut Landgravium re omnino infecta a se dimitteret, ex quo verissime asseri potest, S. R. M<sup>tem</sup> Prussiae totam illam expeditionem Stralesundensem, unice eo fine suscepisse, tantumque sanguinis & opum impendisse, ut Regno Poloniae integra quies servaretur, neque per iteratam Regis Sueciae invasionem in novam calamitatem praecipitaretur, quod nisi  
Sua

Sua Reg. M<sup>tas</sup> Prusiae effecisset, facile evenire potuisset, ut universum Regnum ab eo tempore huc usque belli flammis correptum undique arderet.

Enimvero S. R. M<sup>tas</sup> Poloniae suis etiam copiis, quarum virtuti & rebus strenue gestis sua laus debetur, expeditionem eandem Stralesundensem adjuvit, eae tamen numero inferiores erant, quam ut tantam rem solae peragerent. S. R. M<sup>ti</sup> Prusiae vero iustus adfuit exercitus, res tormentaria instructissima, cum omni necessario instrumento & apparatu copiosissimo, magna praeterea numerus navigiorum, quibus ad transfretandum in Rugiam opus erat, suis sumptibus accitus, ipsisque copiis Regis Poloniae alendis, pecunia & annona suppedita<sup>ta</sup>, cunctaque haec Regiae Majestatis Poloniae probe cognita.

Quod si animus fuisset S. R. M<sup>ti</sup> mala Poloniae in sua commoda vertere, in turbido piscari, & provinciarum aliquam occupare, certe tunc opportunum tempus agendi adfuisset. Neque enim Rex Sueciae vel olim quicquam omisit vel tunc omittebat, ut magnificis pollicitationibus S. R. M<sup>tem</sup> contra Poloniam in suas partes adduceret, aut saltem impetraret, ut  
sibi

sibi liberum relinqueretur, sua contra Poloniam destinata soli perficere. Verum inde ab initio præsentis belli Suedici, hanc sibi legem domus Brandenburgica constanter proposuit, & hactenus observavit, bello contra Poloniam non immisceri, nec quicquam facere aut committere quod in detrimentum Reipublicæ cedere posset. Quinimo, quamprimum bello Gallico se expedivit S. R. M<sup>tas</sup>, partibus Regni Poloniæ accessit, & hosti ejus, Regi Sueciæ, se opposuit, nullum ne minimum à Regno Poloniæ præmium aut retributionem, quod quidem, si fecisset, ab æquitate haud erat alienum, vicissim pacta.

### III.

Medio tempore præsentis in Polonia diuturni belli, id quod turbatis adeo rebus evenire solet, tantum invaluit Polonorum, qui propius limites ditionum S. R. M<sup>tis</sup> in Prussia accolunt, insolentia & ferocia, ut intra territorium S. R. M<sup>tis</sup> & in ejus incolas, tantum non continuis injuriis & sæva violentia grassarentur. Incendia, rapinæ, prædæ, hominum pecorumque abactus, quicquid durum in aperto bello à manifestis hostibus exerceri posset, in terris S. R. M<sup>tis</sup> Prusiæ à Polonis patratum est. Quas eapropter in Poloniam de-



detulit querelas S. R. M<sup>tas</sup> Prusiae, adeo non sunt auribus admiffae, ut ne inquisitionem quidem factorum instituere lubitum fuerit, tantum abest, ut injuriarum damnorumque illatorum facta fuerit reparatio.

Quamvis autem hoc ipso, jus fasque abunde natum sit S. R. M<sup>ti</sup> ab ejusmodi injuriis seipsam vindicare, neque deessent in promptu media viresque exsequendi, abstinere tamen maluit, & praesentium temporum calamitati aliquid concedere, spe persuasa, fore, ut post reductam pacem cunctae istae turbationes omitterentur, animorumque in Polonia ad confinia provinciarum S. R. M<sup>tis</sup> ferocia lenfim mollesceret.

#### IV.

Eadem quoque moderatio à S. R. M<sup>te</sup> servata est, ratione Vectigalium & Teloniorum in Polonia & Lithuania, contra expressam Pactorum dispositionem aut recenter institutorum, aut supra antiquum modum adauctorum. Quamquam enim subditi S. R. M<sup>tis</sup> hisce recentibus aut antiquis noviter adauctis teloniis summopere aggraverentur, parique jure fas fuisset S. R. M<sup>ti</sup> in suis terris Prusiae teloniorum rationem immutare, eum tamen modum constanter abnuit,

& intra repræsentationes, voce & scriptis ad aulam Regiam, ipsaque nupera Regni comitia delatas, rem subsistere passa est.

Cuncta hæc luculenter ostendunt, S. Reg. M<sup>tem</sup> vel justis causis commotam, non tamen ab animo suo impetrare potuisse, ut in gentem Polonam inimicitias exsereret. Neque tamen eo minus in tantam processit occultorum in Polonia S. R. M<sup>tis</sup> adversariorum malitia, ut Ei diversa Poloniæ perniciofa molimina affingere non vereantur.

V.

Primum hoc est, quod civitati Elbingensi, Episcopatu Varmiensi, ipsi Prussiæ Polonicæ, & Pomerelliæ, postremo nunc etiam Curlandiæ & Dantisco, imminere insimulatur, easque regiones, urbes, provincias, per vim in suam potestatem redigendi, & à Polonia avellendi, consilia agitare.

Verum enim vero omnes istas incusationes falsas nulloque fundamento nixas, ipse eventus in hunc diem comprobavit, & neque in scripto produci quidquam potuisse, neque re ipsa actum aut consecutum esse, unde S. R. M<sup>tas</sup> ejusmodi fines aut destinata cogitasse coargui possit. Etenim res ipsa loquitur, adversus Elbingam, Varmiam,

miam, Prussiamque Polonicam, nihil unquam tentatum, amicitiae potius & bonae viciniae jura, cum his pariter atque ceteris, Regno Poloniae subiectis, Prussiae, qua in ditione S. R. M<sup>tis</sup> est, collimitaneis provinciis & regionibus, fuisse observata.

Civitatis Gedanensis securitatem inter praecipuas curas S. R. M<sup>tis</sup> semper fuisse, minus dubium videbitur cunctis, qui situm urbis cognitum habent, & quantopere intersit S. R. M<sup>tis</sup>, praesentem ejus statum integrum conservari, quanta sit subditorum, è propinquis S. R. M<sup>tis</sup> territoriis, cum ea urbe commerciorum frequentatio, quantumque utilitatis inde invicem exundet. Si quas in angustias aut molestias Urbs adducta esset, quoties pro auxilio ad S. R. M<sup>tem</sup> confugit, nunquam non Ejus intercessione & opera sublevata est, neque vel ipsa civitas negabit, eas in rem suam haud una vice insigniter profecisse.

Verum posteaquam haec ipsa Urbs, cum subditis S. R. M<sup>tis</sup> Prussiae, duriter agere cepit, & fortes pecuniarum in fide ejus collocatarum, pariter atque usuras ex pacto debitas exhibere recusavit, adeo ut exinde complures creditorum, in saevas angustias & extremam miseriam adigerentur, nemo facile improbaturus est, S. R. M<sup>tem</sup> ea

propter serio expostulasse, cum adjuncta significatione, in tam justa causa, subditis suis tuendis pro consequendo eorum jure Se non defuturam.

Non tamen ultra verborum contestationem res processit, vis autem aut rigor in Urbem admissus non est, nec violentiæ quicquam perpetratum.

VI.

De negotio Curlandiæ vehementes quidem per totam Poloniam exaudiuntur clamores, quamque S. R. M<sup>tas</sup> idcirco fovet, intentio, in deterrimum sensum detorquetur, videlicet, idagere S. R. M<sup>tem</sup>, ut eum Ducatum a Polonia avellat, Regni & Reipublicæ in eum competentia jura penitus labefactet, terrasque Curlandiæ, reliquæ Prussiæ Brandenburgicæ annectat.

Quicquid hujus est, vanum est & inane. Ejusmodi cogitatio neque subiit animum S. R. M<sup>tis</sup>, nec ullo tempore subibit.

E contrario fide verbi Regii profitetur S. R. M<sup>tas</sup>, Ducatum Curlandiæ & Sengalliæ, cum omnibus illuc pertinentibus, non in præsens tantum, quousque Dux Ferdinandus in vivis supererit, sed & post ejus fata, sub directo & supremo Regni Poloniæ dominio manere, neque vel mini-

mum

num inde decerpi, nedum ab ea Corona, avelli, aut cujuscunque alterius, præterquam Regni Poloniæ, dominio subjici debere.

Porro pro Se Suisque Posteris in sempiternum spondet S. R. M<sup>tas</sup>, vel unicum rusticanum prædium, aut quicquid, quam sit exiguum, quod Curlandici juris est, se non petituram. Quin etiam solenni cum S. Tzarea M<sup>te</sup> pacto quam validissime se obstrinxit, neque Se, nec qui ex se nascentur Posteris, unquam quicquam, quocunque tandem obtentu, in Curlandiam juris sibi arrogaturos, verum eam regionem, perpetuo singularem, a Regno Poloniæ dependentem Provinciam, esse & manere debere.

Iuxta tamen confidit S. R. M<sup>tas</sup> in amante justitiæ & generoso Regiæ M<sup>tis</sup> & Gentis Polonicæ animo, æquum arbitraturus, ut, quæ post fata Ducis Ferdinandi, Curlandiæ imminet ingens rerum mutatio, S. R. M<sup>tis</sup> Propinquis sanguine junctis, pars eâdem domo ortis, pars per matrimonia infitis, pars aliunde sub ejus protectione degentibus, ratione suarum in Curlandiam, ex capite, sive Alimentorum, sive Dotium & Dotalitiorum, sive a Majoribus provisarum Ordinationum, seu denique ex capite bonorum Allodialium, præter ea, quæ proprie feudalia, & ab illis distincta sunt,

existentium, summo jure competentium actionum satisfiat, eoque respectu de necessaria securitate, & consequendi juris æqua ratione, mature prospiciatur.

Præsertim cum inter has illustres Petitrices aliquot existant Principes fæminæ, quæ à prima infantia, nec unicum obulum è Curlandia accipere, quibus pro hypotheca obligata Domînia crepta, & aliis tradita, quibusque proinde, pro ratione excelsæ originis, extrema inopia incubuisset, nisi per Divinam Providentiam aliunde illis fuisset consultum.

Et quoniam exiguum non est quod petitur, sed ad complures milliones ascendit, tanto gravior causa est eas petitiones movendi, quandoquidem, si, quod fama circumfertur, Curlandiæ Ducatus, corpori Regni Poloniæ conjungendus, & in Palatinatus esset describendus, non constaret illustribus Petitricibus, qua via aut in quos, actiones pro consequendo jure suo instituendas essent habituræ.

Quæ in medium allata fuit propositio, Marchionem Brandenburgico - Svetanum, à Rege Regnoque Poloniæ Ducatum Curlandiæ feudi jure accepturum, ea lege, ut cuncta illa nomina  
in

in se transferat, eisque feudum Curlandiæ liberet, ea utique tanto facilius approbationem habitura credebatur, quod antehac aula Polonica Ducatum Curlandiæ in Principem Weiffenfelfinum transferre intendisset, absque tamen eo onere, in quem casum omnis illa præstatio illustribus Petitrilibus facienda, in ipsam Rempublicam devoluta fuisset.

Sane volenti S. R. M<sup>ti</sup> erit, expectare media a S. R. M<sup>te</sup> & Republica Poloniæ adinvenienda, qua ratione prædictis Petitrilibus satisfieri possit.

At vero iniquum & ab omni jure summopere alienum foret, per speciem Juridicæ actionis, quæ quidem minæ jactatæ sunt, revera autem DEO & quicquid est justitiæ adversantis, Earum jura convellere, illisque Eas protinus exuere velle

Enimvero melior spes tenet S. R. M<sup>tem</sup>, fore, ut a se propositum inque æternis Poloniam inter & Prussiam constitutis pactis radicum modum, Regia M<sup>tas</sup> & Republica Poloniæ amplectatur, nimirum, ut ex parte Reipublicæ, æque ac Petitrilibus, Commissarii paribus utrinque mandatis & auctoritate muniti, quam primum constituantur, qui cunctas illas prætensiones intime excutiant, ad constituendum liquidum deducant,

inque certos modos illud exsolvendi amice consentiant. Quo in negotio ipsa S. R. M<sup>tas</sup>, propter tuas in eo versantes proprias rationes, una concurret, & ita rem gerere sibi proponit, ne mutua Sibi cum Republica intercedens benevolentia vel minimum detrimentum patiatur.

VII.

Porro hoc etiam admodum traduci videtur, & in malam partem trahi, quod S. R. M<sup>tas</sup> Prusiae per occasionem hujus negotii Curlandici, nempe, jam memoratae pollicitationis, mediante successione Marchionis in Curlandia, eam provinciam ab immensis in ea hærentibus debitis & prætensionibus eliberandi, Status provinciales Curlandiae compellaverit, eo nimirum obtentu, quod ad modo dictos Status neutiquam pertineat, negotio successione se ingerere, quodque ea compellatione Regis & Reipublicae in Curlandiam jura violentur.

Ista vero objectio justissime refellitur eo, quod, quæ cum Statibus provincialibus Curlandiae acta & communicata sunt, accessionem consensu Regii & Reipublicae, pro successione Marchionis interponendi, neutiquam excludant, quodque pro eo impetrando Rex & Respublica pari-



pariter implorandi fuissent. Quæ vero super ea successione facta est Ordinum provincialium Curlandiæ interpellatio, exemplo vel ipsorum Regum Poloniæ, singulatim Johannis Casimiri, & hodie regnantis Regis nititur. Et Johannes quidem Casimirus, adhuc Princeps, quomodo pro successione in Curlandia Status ejus provinciæ adierit, ipsius epistola, huic apologiæ † subjecta, ostendit. Ea vero quæ inter Regem & Tzarem sancita est, pariter hic † adjuncta Conventio, luculenter ante oculos exponit, Status Curlandiæ præcipue interpellatos, & tanquam primum mobile adhibitos fuisse, quo tempore modernus Rex Principem Weissenfelsinum Ducatui Curlandiæ imponere affectabat, quod ipsum ex alia quoque, hic etiam † subjecta, epistola apparet, à Regia Majestate Poloniæ ad Status Curlandiæ perscripta.

sub I

A.

sub I

B.

sub I

C.

Præterea hoc quoque contra successionem Marchionis in Curlandia allegatur, in Constitutione Regni Poloniæ Ao. 1589. provisum esse, quodocunque feudi Curlandici apertura contingeret, illam provinciam in unum cum Regno corpus coalescere debere. At vero, hujusmodi Constitutio Diplomati subjectionis Curlandiæ adversatur, cujus vigore Curlandia Principatus titulo ornata est, qui sane per subsequenter in-

corporationem esset desiturus, illa abhinc in Palatinatus & Capitaneatus distribuenda. Cautum præterea est prædicto Diplomate, ne circa jura, privilegia & præprimis circa usum Sacrorum & receptos secundum Aug. Confess. ritus, denique circa superioritates, præminentias, dignitates, possessiones, libertates & plebiscita quibus civitates omniumque Curlandiæ ordinum subditi antea gaudebant, ulla unquam fieret mutatio, consuetudines potius & mores antiqui in pristino statu servarentur, quod, quo pacto observari, eademque in sacris & profanis res publicas privatasque administrandi ratio retineri possit, si Curlandia in unum idemque Corpus cum Polonia coalescat, nemo facile comprehendet.

Periit profecto funditus res Evangelica per omnem Curlandiam, si ille qui nunc invaluit, & nuper Varsoviæ in Comitibus Regni quasi legis vim accepit, in Polonia cum Dissidentibus agendi modus, ad Protestantes Curlandiæ etiam pertinere debet, illos nimirum post incorporationem eodem jure cum reliquis Polonis censeretur debere quis dubitet.

Accedit, quod Status Curlandiæ super Constitutione Anni 1589. non sint auditi, quod tamen,  
ut

ut in negotio, in quo gravissimum eorum præjudicium versabatur, omnino fieri oportebat.

Præmarium verò, quod isti constitutioni obstat, eamque penitus convellit, momentum est, quod exorto postmodum casu aperturæ, nulla plane ejus ratio habita, sed in vacuum à Friderico Duce Principatum, nullo ad Constitutionem respectu, secundum intercessionem Nobilitatis Curlandiæ, Jacobus Dux Curlandiæ fuerit institutus, id quod è literis Investituræ luculenter apparet.

Quodsi etiam aliqua Constitutio, qualis illa A. 1589. esse fertur, extaret, & valida censeretur, S. R. M<sup>tas</sup> Poloniæ nunquam in animum induxisset, cum extraneis Principibus pacta inire, ut, non post fata demum moderni Ducis Curlandiæ improlis, sed vel ipso vivente, Curlandia in alium Principem transferatur: id quod tamen per memoratum Tractatum factum est. Hæc enim nihil aliud nisi manifesta contraventio legibus Regni censenda foret, quam in S. R. M<sup>te</sup> Poloniæ vel cogitare aut suspicari nefas est.

Postremo illud quoque adhuc monendum est, tametsi etiam concedatur, quod tamen ex tot ac tantis rationibus merito adhuc in dubium

vocandum est, Curlandiam post fata Ducis Fer-  
 dinandi sine legitima prole Mascula decedentis  
 Poloniæ incorporari debere, nulla tamen ratione  
 prætendi posse, ut casu hoc eveniente Vidua Dux  
 Curlandiæ, Ducissa Coburgensis, & Serenissimæ  
 Sorores ultimo defuncti Curlandiæ Ducis, cum  
 Abbatissa Hervordienti, pariter quoque omnia jura  
 amittant, quæ illis sive ex Capite Allodii cum  
 feudo Curlandiæ nihil commune habentis, sive  
 ex prætensionibus avitis, Pactis etiam Dotalibus,  
 Contractibus & Donationibus, Dotis etiam &  
 alimentorum nomine debentur, & quorum  
 maxima pars Regum etiam Poloniæ Confirma-  
 tionibus & Concessionibus firmata est, quin po-  
 tius Serenissimas Principes hæc Fœminas summo  
 jure summaque æquitate postulare, ut quisquis tan-  
 dem futurus est Curlandiæ Princeps, de hisce omni-  
 bus iisdem satisfaciatur, neque Possessionem Duca-  
 tus ingrediatur, antequam hac de re plena illis præ-  
 stita sit securitas.

VIII.

Denique abunde constat S. R. M<sup>ti</sup> quam ali-  
 enæ quamque adversæ ideæ, ob Regiam digni-  
 tatem, à Parente suo gloriosæ memoriæ, ante  
 hos fere viginti annos, domui suæ illatam, inclu-  
 tæ genti Poloniæ hæctenus fuerint impressæ.

Differebatur recens dignitas , tanquam Re-  
 gno Poloniae summe injuriosa & damnosa ; Prus-  
 siae Reges titulum hunc in abusum tracturos ; ne-  
 que aliud intendi , nisi ut Pacta Poloniae cum  
 Prussia Brandenburgica intercedentia labefacten-  
 tur , aut protinus evertantur ; & alia complura  
 Poloniae molesta accersantur .

Saepius equidem à S. R. Mte declaratum est ,  
 Regia dignitate , nihil penitus novorum Jurium , po-  
 testatis & potentiae , in praejudicium Regni Poloniae ,  
 sed unice novos honores quaesitos , Seque nihil-  
 ominus Pacta constanter & sancte observaturam ,  
 nec ulla vel minima parte contra ea ituram , Re-  
 gno quoque Poloniae reservatum in Prussia even-  
 tuale jus succedendi , salvum & intactum per-  
 mansurum , neque ei per dignitatem Regiam  
 quicquam decessurum .

Cuncta haec nondum quidem hucusque pro-  
 fecere , ut omnimoda animorum in Polonia satis-  
 factio conciliaretur : non tamen ea de causa , quod  
 titulus Ducatus Prussiae Regio commutatus Regno  
 Poloniae damnum aliquod attulerit , sed ideo ,  
 quod nonnulli , qui amicam & concordem do-  
 mus Brandenburgicae cum Republica communi-  
 cationem obliquis oculis intuentur , sibi &

suis in oppressionem Reipublicæ tendentibus mo-  
 liminibus, exinde obstacula metuunt, hinc ob-  
 tentum cupide quærent, commercium per  
 epistolas & legationes, Rempublicam inter &  
 S. R. M<sup>tem</sup> Prusiæ, turbandi & sustendi, forte  
 etiam, si qua occasio aliquando se offerat, causas  
 apertæ collisionis S. R. M<sup>tis</sup> cum Polonia inde eli-  
 ciendi. Alioquin enim, & nisi malignorum  
 ejusmodi pravæ intentiones intercederent, fieri non  
 posset, quin Natio insigni pollens sapientia &  
 perspicacitate, qualis Polonorum præ cæteris esse  
 agnoscitur, dudum intellexisset & judicasset, à  
 Corona Prusiæ nullum se detrimentum pati, ne-  
 que intuitu jurium Poloniæ in Prusiam compe-  
 tentium, quicquam differre, Regis aut Ducis ti-  
 tulus ab ejus possessore præferatur.

Viginti prope anni, uti modo dictum, ef-  
 fluxere, ex quo titulus Regius penes domum Ele-  
 ctoralem Brandenburgicam fuit. Per totum tam  
 longi temporis tractum, per tot tamque notabi-  
 les, in orbe Christiano, præcipue autem in ipsa  
 Polonia, factas rerum conversiones, saltem ali-  
 quid sese exseruisset, si quid Poloniæ noxii Regalis hæc Prusiæ dignitas contineret, aut detri-  
 mentum aliquod Poloniæ inde obvenire posset.

Neque

Neque tamen per omnes hos viginti annos vel minimum ejus rei apparuit indicium.

Pacta, Constitutiones, Jura & Consuetudines, inter utrumque Regnum & Gentem continue eadem permansere. A parte S. R. Mtis nihil unquam allegatum est, quo ex causa consecutæ Regiæ dignitatis, hoc vel illo in Pactis contento articulo se exsolvi, aut eapropter quicquam innovari, aut prærogativam quamcunque concedi postulasset. Sed & in futurum eandem rationem servare placet, etiamsi Polonia Prussiaque, ad finem usque ævi, id quod eventurum speratur, in præsentis statu essent duraturæ.

Enimvero non ingratum foret S. R. Mtis negotium hoc cum Republica componi, quo liberius & expeditius, super communibus commodis, sibi invicem arctissime connexis, consilia in commune conferri possent: non tamen abnuit S. R. Mtis, siquidem Reipublicæ magis placeat, rem in præsentis statu relinqui, quamdiu illi visum fuerit, in eo acquiescere, neque ob id singulari, quam de Republica habet, summæ existimationi, aut desiderio, commoda ejus, quantum in sua erit potestate, promovendi quicquam decedet.

Interèa pro solatio erit S. R. M<sup>ti</sup>, Dignitatem suam, ceterorum omnium, vel maximorum & potentissimorum, Europæ Principum consensu assertam, seque consequenter ab illis ea distinctione frui, quæ à nonnullis ceterorum Regum adhuc desideratur, neque hæctenus, quantumcunque pro ea consequenda vehementer laborarent, impetrari potuit.

Hæc fere sunt omnia illa argumenta, quibus S. R. M<sup>tas</sup> infensi in Regnum Poloniæ animi infimulatur, & è quibus propositum, damna & injurias inferendi speciosè elicitur.

Non dubitat S. R. M<sup>tas</sup> ad rectum æquumque universi Orbis, præcipue autem è Polonica gente, eximia ingenii & penetrationis gloria incluta, animorum, aliunde & aliis de causis haud præoccupatorum, judicium provocare. Et si cuicumque idcirco scrupulus aliquis reliquus hæreat, ultro ampliorem dilucidationem pollicetur, donec unicuique plane fuerit satisfactum.

Unum rogat S. R. M<sup>tas</sup>, ne ex suo armorum paratu sinistras suspiciones insinuari sibi Republica patiat. Prosperatum alioquin a DEO S. R. M<sup>tis</sup> regimen, hoc tamen habet molestæ adversitatis,



tatis, apertis occultisque inimicitiis esse obnoxium: invideri fortunæ & incrementis domus, neque admodum dissimulari, si qualiscunque occasio se præbeat, non defuturos, qui Ei cum universa domo extremam ruinam essent accersituri. Cunctis his machinationibus non habet quod opponat S. R. M<sup>tas</sup>, post Deum & amicorum opem, nisi robur armorum. Ea igitur est unica & genuina causa, qua adducta & quasi compulsa est S. R. M<sup>tas</sup>, apparatus armorum suorum, ad eum modum, qualis pro tempore existit, instruere. Non ut gravis fiat cuiquam vicinorum, aut vim alicui inferat, neque ut per injuriam fines suos promoveat: sed id unum sibi propositum tenet, ut quæ à Deo collata, & à majoribus jure successionis derivata in se accepit, integra conservet, suosque vicinos & amicos, præcipue vero gentem Polonam, cui æterni fœderis vinculo conjuncta, cujusve libertas & prosperitas Suæ domusque suæ incolumitati adeo arcte innexa est, quotiescunque necessitas postulaverit, juvare & gratum facere possit, neutiquam vero, nec ulla unquam consideratione qualiscunque ea tandem fuerit, adduci se patietur, ut quicquam admitat, quod prædictæ inclutæ Genti vel minima


in re infestum , aut in detrimentum cedere va-  
 leat , id quod fide & verbo Regio , quorum ob-  
 servationem sanctam constanter habet , hisce  
 quam firmissime pollicetur. Berolini , die 29.  
 Mensis Martii , Anno reparatæ salutis MDCCXIX.  
 & Regni Regiæ Suæ Majestatis VII.

**FR. WILHELMUS,**  
**REX.**



**ILGEN,**

LIT. A.


**JOHANNES CASIMIRUS,**  
 DEI gratia, Princeps Poloniae & Sue-  
 ciae, &c. Generose multum dilecte, Non  
 ignorat procul dubio Sinceritas Tua, quatenus ante an-  
 num in Comitibus Regni Varaviae habitis Rempublicam  
 pro obtinendo Ducatu Curlandiae interpellaverimus, &  
 in animis Dominorum Senatorum tantum favoris in-  
 venerimus, ut omnium fere suffragia in nostras partes in-  
 clinaverint, unde spem concepimus, fore, ut quae tunc  
 secundum nos excidere sententiae, in proxime futuris  
 Regni Comitibus haud immutentur, sed potius confir-  
 mentur, idque eo magis, quando relatum nobis est,  
 peracta nuper comitiola provincialia passim unanimi  
 consensu a nobis stetisse. Quoniam vero pergratum  
 nobis foret, si ipsi Provinciales Incolae proprio motu  
 apud Regem & Rempublicam eo nomine intervenirent,  
 Sincer. Tuam, cujus pronam in nos benevolentiam &  
 fidem dudum spectatam habemus, suasu & auctoritate  
 S. R. Majestatis, hisce compellamus, velit negotium hoc  
 in rem nostram apud praedictos Incolas in eum modum  
 dirigere, animosque flectere, ut facilius promptiusque  
 intentionem nostram consequi valeamus.

Nos e contrario promittimus, universae Provinciae  
 Religionem & Privilegia, quibus in praesens utitur,  
 perpetuo conservaturos, praetereaque Sinceritati Tuae  
 actualem gratiam opportuno tempore singulariter re-  
 laturos, ut praestitae nobis fidelitatis eam nunquam pe-  
 niteat.

niteat. De reliquo Sinceritatem Tuam Divinæ tutelæ  
 commendamus, gratiamque nostram regalem pollice-  
 mur. Datum Varsaviæ, 26. Jan. 1638.

JOHANN CASIMIR, Pr.



Generoso singulariter nobis dilecto  
 Eberhardo Wolff, &c.

LIT. B.

**P**Osteaquam Tzaarea Sua  
 Majestas, ut & Regia Sua Majestas Po-  
 loniæ, rationibus idoneis & prægnan-  
 tibus inductæ crediderunt, è re sua esse, & ad  
 majorem mutuæ inter se bonæ voluntatis atque  
 propensi animi Confirmationem pertinere, ut Se-  
 renissimo & Celsissimo Principi, Domino Johan-  
 ni Adolpho, Duci Saxonæ Weissenfelfensi, Se-  
 renissima Princeps, Domina Anna, Princeps to-  
 tius Russiæ, & Dux Vidua Curlandiæ, certis le-  
 gibus solenniter desponsetur: Ea propter supra-  
 dictæ

dictæ suæ Majestates de pacto & conditionibus, quibus id institutum perfici & ad optatum finem deduci posset, per Ministros Plenipotentiariorum ad hoc ab utraque parte nominatos, sequentibus articulis rite convenere:

### Artic. 1.

Pollicetur Tzarea Sua Majestas, se juxta Conventionem, cum Ordinibus Curlandiæ initam rem eò dirigere velle, ut isti Regiam Suam Majestatem Poloniæ, Inclytamque Rempublicam per Deputatos solenni modo constitutos decenter & supplices implorent, velint ex dijudicatione suorum jam pridem adversus Ferdinandum, Curlandiæ Ducem delatorum gravaminum, quæ non minus Suæ Majestati Poloniæ, quam luculentius etiam Commissioni ab Eadem in Curlandiam missæ cognita atque perspecta sunt, declarare, præfatum Curlandiæ Ducem hoc Ducatu, tanquam feudo à Regia Sua Majestate & Republica dependente, & omni, quod in illum Ei hæcenus competit, jure penitus excidisse, Regiamque Suam Majestatem cum Republica, Ipsius loco Ducatum hunc, cum omnibus ad illum spectantibus juribus, beneficiis, privilegiis & prærogativis, quibus Curlandiæ Duces hæcenus gavisi sunt, in Principem Saxo-Weissenfelsensem, vi supremi, quod in Curlandiam habent, Dominii transferre & transcribere, Eumque de eo investire velle.

### Artic. 2.

Vicissim spondet Regia Sua Poloniæ Majestas, quod non tantum pro se in illa Ordinum Curlandiæ vota & deside-

“desideria benigne consentire, sed etiam operam dare ve-  
lit, ut Respublica pari voluntate eadem comprobet &  
“ratihabeat : Cui fini assequendô dictam Rempublicam  
“ad id jam pridem præparare cœpit, & porro quoque  
“omnem impendet operam, ut Eadem penitus in hanc  
“sententiam pertrahatur.

### Artic. 3.

Quibus ex voto succedentibus effectuique datis,  
nec non investitura Principi Saxo-Weissenfelsensi, pro  
Se Suisque hæredibus masculis ex legitimo Conjugio  
suscipiendis rite collatâ, matrimonium cum Serenissima  
Suæ Tzaareæ Majestatis ex Fratre Filia, viduâ initor,  
“& realis in Curlandenses Provincias immissio, sine  
“ullâ morâ suscipitor, ita ut neutrum sine altero fiat aut  
fieri possit.

### Artic. 4.

Utraque Tzaarea & Poloniæ Majestas quoque pro-  
mittunt, se Principi Saxo - Weissenfelsensi, ejusque  
successoribus feudalibus, Terrarum Curlandensium  
possessionem, cum omnibus iisdem annexis & ex anti-  
qua observantia competentibus Prærogativis, Juribus  
“& Immunitatibus, nullo excepto, conservaturas, &  
“contra quoscunque defensas protecturasque esse.

### Artic. 5.

In specie vero sua Tzaarea Majestas alte memora-  
tam Ducem Viduam, ornatu, mundo muliebri, vasis  
argen-

argenteis cæterisque Mobilibus & supellectile , tantâ Principe dignis instruet, omniaque Eidem in Ducatum Curlandiæ ejusve Præfecturas competentia jura, quocunque nomine venerint, Principi Saxo-Weissenfelsi ipsiusque legitimis hæredibus & successoribus in favorem hujus matrimonii cedit atque remittet, Eademque Duci Viduæ omnia & singula commoda & emolumenta, quæ Illi, cum primum proxime defuncto Curlandiæ Duci nuberet, pactis dotalibus concessit, nunc pariter concedet, quem in finem pacta dotalia cum defuncto Principe inita, ante consummationem nuptiarum bonâ fide communicabuntur, quò ad eorum formam & tenorem ea, quæ nunc conficienda sunt, conscribi queant.

Artic. 6.

Eâ tamen conditione, ut hæc ipsa Articulo præcedenti à sua Tzaarea Majestate in Principem Saxo-Weissenfelsensem facta cessio, & translatio prætensionum & Jurium, Duci Viduæ in Curlandiam competentium, in locum dotis demortuo Duci primum Conjugi promissæ succedat, & ad eam posthac in ære persolvendam Sua Tzaarea Majestas nullo modo teneatur; Serenissimus Princeps sponfus quoque Doti huic penitus renunciat, nec minus tamen omnia eademque lucra, quæ à defuncto Duce, Serenissimæ Viduæ, occasione contracti cum eo matrimonii promissâ fuerant, sine ulla exceptione non secus ac si ista disertis verbis hic inserta & sigillatim expressâ essent, præstabit.

Artic. 7.

Quod si autem res eo deduci nequeat, ut Ferdinandus Dux ditionibus suis penitus & in perpetuum ejicia-

ejiciatur : Id tamen Utraque Majestas effectura est, ut  
 “Duci huic, quoad vixerit, annuâ, sed mediocri pensio-  
 “ne, vel ab Ordinibus, vel ex redditibus Ducalibus sol-  
 “vendâ prospiciatur, atque de hoc negotio cum Illo sub  
 auspiciis Regiæ suæ Majestatis ante consummandum  
 matrimonium transigatur. Convenit præterea inter  
 Utramque Majestatem, ut modò dicta annua pensio  
 Ferdinando Duci per omne, quod ei superest, vitæ  
 tempus, utroque casu, sive feudo in totum privetur,  
 sive minùs, præberi debeat.

Artic. 8.

Placuit quoque & Utraque contrahentium pars  
 “invicem promisit, se hanc de Matrimonio pactionem  
 “eò usque celare, nec quicquam de eo evulgare velle,  
 antequam singula Conventionis hujus Capita ad ple-  
 num pervenerint effectum.

Artic. 9.

Ministri denique Serenissimorum Paciscentium  
 Plenipotentarii ex Utraque parte in id consenserunt,  
 curatum iri, ut Utriusque Tzaaræ & Poloniæ Maje-  
 statis Diplomata Ratificationis Conditionum supra  
 scriptarum, intra octo hebdomarum spatium, alteri  
 ab altero Tzaarea hac in Aula extradenda, in forma  
 solenni & consuetâ rite exhibeantur.

In quorum omnium fidem Ministri modò memo-  
 ratî Plenipotentarii has pactorum unius ejnsdem-  
 que tenoris litteras bis conscriptas & manibus suis sub-  
 scriptas, sigillisque corroboratas invicem commu-  
 taverunt.

Acta sunt hæc, Petroburgi 12mo Decembris die,  
 Anno post Christum natum 1717.



LIT. C.

**F**RIDERICUS AUGUSTUS  
 DEI gratia REX Poloniae, Dux Saxoniae,  
 Juliaci, Cliviae, Montium, Angriae  
 & Westphaliae, Elector, &c.

**V**obis Magnifici, Generosi, Consiliarii fideles nobis  
 dilecti gratiam nostram. Exposita sunt coram no-  
 bis, quae in supplicibus epistolis vestris 28. & 31. Mart.  
 c. a, datis, de turbato statu Ducatum Curlandiae & Sem-  
 galliae relata continentur, pariterque ea, quae per Dele-  
 gatum Vestrum, de ordinanda inibi Successione, & quod  
 eo nomine cognati nostri, Johannis Adolphi Saxo-Weif-  
 sensfeldensis Ducis, habita fuerit ratio, proponi curavistis.

Ad ea Sinceritates Vestras gratiose celare nolumus,  
 quantopere calamitoso statu Provinciae Vestrae, qualis  
 voce scriptisque nobis ante oculos representatus est, af-  
 ficiamur. Enimvero cum nihil quicquam magis in vo-  
 tis habeamus, quam ut Regnum nostrum & connexas ei  
 Provincias, diuturno bello & intestinis discordiis pessun-  
 datas, pristino flori & prosperitati restitutas conspiciamus;  
 pari cura, quantum fieri potest in hoc incumbemus,  
 ut quae Ducatibus Curlandiae & Sempgalliae super-  
 venire ingravationes, protinus releventur. Qua su-  
 per re, ad eas quae a delegata pro discutiendis negotiis  
 vestris Commessione habitae sunt deliberationes nos re-  
 ferimus, easque omni modo tueri decrevimus.

Cæterum pergratum nobis evenit , pro ordinanda  
 successione in jam memoratis Ducatibus Curlandiæ &  
 Sempgalliæ ad Cognatum nostrum, Ducem Saxo-Weif-  
 sensfeldensem Sinceritates vestras respectum habuisse.  
 Non potest non hoc propositum , tum propter insignes,  
 quibus modo dictus Dux ornatus est, virtutes & merita,  
 tum propter vinculum sanguinis Nobis cum illo interce-  
 dens, Nobis esse quam acceptissimum, neque à Nobis  
 quicquam omitteretur, quod huic negotiò promovendo  
 ullo modo conducere possit, curabimusque ut in proxi-  
 mis Regni Comitibus ex integro conficiatur. Quod re-  
 liquum est, ad ea, quæ per magnum R. Cancellarium,  
 Delegato vestro, cum nuper in Prussia essemus, hanc in  
 rem verbis declarari mandavimus, provocantes, unum  
 addimus, è re fore, ut ad proxime futura Comitia  
 Grodnam è medio vestri mittatis, qui negotiorum ve-  
 strorum procuracionem agat. Gratiam nostram regalem  
 S. V. pollicemur. Datum Dresdæ 21. Jun. 1718.

**AUGUSTUS REX.**



**FLEMMING.**

Statibus Ducatum Curlandiæ &  
 Sempgalliæ

Responsum ad geminas memoriales  
 literas S. R. M<sup>ti</sup> exhibitas.

*Simonis.*

*Magnificis, Generosis, fidelibus Nobis  
 dilectis, constitutis Palatino, Cancel-  
 lario, Castellano, Mareschallo Provin-  
 ciali, primariis Consiliariis & universo  
 Ordini Equestri Ducatum Curlandiæ  
 & Semgalliæ.*



Handwritten text, mostly illegible due to fading and bleed-through. Visible words include "Ordini", "Catholice", "Fidelium", "Cura", "et", "Pastoralis", "Sollicitudinis".



Handwritten signature: *Joan F. ...*  
et in ...  
Fua